

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema XLII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

*nabis.*] Hoc loco intelliguntur ea, quæ post resurrectionem de Christo facta sunt: ut glorificatio corporis, ascensio in cælum, sessio ad dexteram. Id omne eleganter explicatur Phil. 2. v. 9. & Coloss 2 v. 15.

I. CONSOLATIO ingens, præsertim morituris hinc peti debet, quod qui videntur à Deo deserti, gloria tamen sunt ornandi postmodum, vbi superauerint calamitates. De hoc Rom. 8. v. 17. 2. Cor. 4. v. 17. Et 2. Tim. 2. v. 11. Vide etiam Act. 14. v. 22. Nec est alia via ad gloriam, Luc. 24. v. 26.

II Gloriæ suæ etiam nostram carnem vult reddere participem Christi, Phil. 3. v. 21. & 1. Cor. 15. v. 49.

Nemo effari potest quanta gloria, quod caro nostra cum Christo regnabit.

F I N I S.

T H E M A X L I I.

Psal. 9. v. 10.

*Factus est Dominus refugium pauperi, refugium in necessitate. & cætera ad vers. 12.*

D I S P O S I T I O:

Paucula sunt hæc verba in quibus multa continentur ad doctrinam & consolationem admodum vtilia. Nos hæc quatuor membra breuiter notabimus: dicturi

1. De Epitheto Dei, quod dicitur asylum seu refugium.
2. Cuius sit refugium, audiemus.
3. Quando vel quibus temporibus sit refugium.
4. Quis horum membrorum vsus, à Davide ipso monstratus.

I. Pars.

Refugium dicitur Deus, sine prolectio, ut est in germanico, Neque hoc tantum loco, sed & Psal. 17. 3 1. 3 2.

46. 59. & 91. & passim alibi. Sunt enim illa vocabula, arx, petra, praesidium, firmamentum, adiutorium, protector, susceptor, &c. eiusdem sententiae in Psalmis. Sicut & in vers. Germ. Schutz / Schirm / vt Psal. 32. v. 7. & Zubericht / Psal. 46 v. 2. Hort / vt Psal. 59. v. 18. & Psal. 19. in fine, &c. similia sunt, quoad sententiam. Et hoc volunt, Deum esse protectorem & defensorem potentissimum, & ad ipsum tuto posse confugere homines.

I. Discimus quantum errent, qui asylum quaerunt & refugium ad defensionem, vel in locis munitis Obad. v. 4. Amos 8. v. 3. vel apud amicos, homines. siue Principes, Psal. 146. & 60. v. 11. vel in suis thesauris, Job. 31. v. 24. vel in aliis rebus terrenis: cum praeter Deum nulla vera sit protectio aut defensio. Iple solus Magister ad saluandum, Esa. 63. v. 3.

## II. Pars.

At sicut nec pauperibus in quocunque loco munito asylum patet, nec in aliis praedictis ipsis licet quaerere praesidium: ita forsitan apud Deum omnipotentem minus poterunt sperare protectionis: quia non demittet sese tanta maiestas ad homines abiectissimos? At Pfaltes hic diserte dicit, Deum esse asylum & protectionem pauperi. Omnes intelligit miseros.

I. ADMONITIO hinc sumitur, vt idem faciant omnes alii: praesertim in officiis constituti, vt & ipsi sint defensores pauperum. Beati tales, Psalm. 41. vers. 2. & sequentibus.

II. CONSOLATIO hinc maxima peti debet pro pauperibus & abiectissimis, quorum tutelam aut defensionem nemo vult in his terris suscipere, quod habeant Deum protectorem. Neque id hoc tantum loco dicitur, sed & alibi passim: vt deco minus illi dubitent, huc perueniat illa Psal. 22. v. 25. & 34. v. 7. & 35. v. 10. Psal. 70. v. 6. & 72. v. 4. & 13. & 107. v. 41. & 109. v. 31. & Psal. 140. v. 13.

Pauperes autem hoc loco non sunt tantum hi, qui egent victu,

vctu, sed omnes, quicumq; abieci vel oppressi, vel onerati sunt & afflicti, & in summa, qui protectione Domini egent. Hi præsidium in Deo quarant. Sufficiat hoc illis, si nemo sit, qui ipsos curet, Plal. 73. v. 25. & Rom. 8. v. 31. Si Deus pro, &c.

## III. Loci.

Adiutores sunt interdum pauperum etiam homines, sed extra casum necessitatis. Ast vbi vel pericula adeunda sunt, vel alia incommoda expectanda, tum pedem referunt omnes

*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

At Deus hic dicitur adiutor & protector pauperis in necessitatibus. Hoc demum magnum est.

Latina versio habet, In oportunitate, cum maxime indigemus ipsius ope.

CONSOLATIO hæc accedit ad priorem, quod in omnibus etiam aduersissimis casibus & necessitatibus maximis, pauperes omni alia ope & auxilio destituti, Deum habeant protectorem. Quæ possit esse maior consolatio in omni vocationis genere? Huc pertinent illa Esaiæ 63. v. 2. & 11. & 49. v. 26. Et id in primis Psal. 46. v. 2. & 3. & seqq.

Sed & in morte quoq; (vbi maxima angustia & necessitas) præsidium à Domino sperandum, Psal. 23. v. 4. Tametsi ambulauero, Tu mecum.

Hoc autem loco probe norandum, Deum id frequenter in more positum habere, vt non nisi in summis necessitatibus & difficultatibus suam protectionem luculenter ostendat: vbi iam de omni auxilio humano desperauimus.

Et id vocat scriptura adiutorium in opportunitate, cum in acie nouaculæ res est, &c. *de arrip.*

Inde illud Iosaphati excellens & memorabile dictum, Paral. 20. v. 12. Nescimus, &c.

Exempla passim sunt obuia. David iam vndique con-

clusus liberatur, 1. Sam. 23. v. 16 Hiskias agnoscit infantem in ipso partu hæreret. Esa. 37. v. 3. Daniel inter leones iam seder, Dan. 6. v. 16. Socii in fornace. Dan. 3. v. 23. Petrus eras occidendus in vinculis, Act. 12. v. 4. Paulus iam sententiam mortis in seipso accepit. 2. Cor. 1. v. 9. Et hoc ideo facit, vt tanto conspectius & gloriosius sit auxilium diuinum.

IV. Pars.

Quem vsum hæc omnia apud Christianos habeant, ipse Dauid verbis sequentibus docet: *Ideoque sperant in te qui nouerunt nomen tuum.* Quia enim vident illam tuam clementissimam protectionem, in te vno & solo confidunt. Necim merito. Neminem enim deseris, qui in te confidit. plurima hinc essent notanda, ex quibus paucissima tantum attingemus.

I. Videmus nos tuto in Domino posse confidere, & ab ipso sperare protectionem. Ita que non diffidamus ipsi. Bonum est confidere in Domino. Psal. 118. Neminem vnquam deseruit fidelem. Syr. 2. v. 12. Nec satis est scire omnia que in præcedentibus sunt demonstrata: si non etiam fiduciam firmam in Deo collosemus. Non mirum si diffidentes ipsi deserantur.

II. Ad quos istud certum præsidium pertineat, notandum & quos in suam clientelam recipiat Deus.

1. Qui nouerunt nomen tuum. Cognoscitur autem ex verbo. Filius reuelauit. Joan. 1. Oues meæ cognoscunt. Joan. 10. v. 14.

2. Qui sperant in Domino, Credentes intelligit, qui ex auditu fidem conceperunt Rom. 10. v. 18.

Increduli autem percutunt corporaliter & æternaliter.

1. Corporaliter, vt Esa. 7. v. 9. Si non credideritis, non permanebitis.

2. De æterna infelicitate notandum id Christi: Qui non credit, perit. Ioan. 3. v. 36.

3. Qui

3 Qui quærent Dominum, piis scilicet & ardentissimis precibus. Hæ sunt tres notæ piorum.

F I N I S.

THEMA XLIII.

Psal. 10. v. 12.

*Exurge Domine, & exalterur manus tua, ne obliuiscaris pauperum, & cætera vsque ad vers. 15.*

D I S P O S I T I O.

Ecclesia Dei in his terris cum omnibus suis membris vocatur pusillus grex, Luc. 12 v. 32. Est sicut ovis in medio luporum, Matth. 10. v. 19. Multisque obnoxia aduersitatibus & persecutionibus impiorum. Et quod toti Ecclesie accidit, idem etiam omnibus illius membris. Psal. 119 vers. 1. At contra omnes aduersarios nullo alio genere armaturæ pugnare solet, quam precibus & lachrymis: vt patet ex Act. 1. v. 12. perseverabant in oratione; & Act. 16. v. 25 vbi Paulus & sylas in carcere orabant.

Idem perpetuo solebat obseruare bonus Dauid noster, & quando cuque fuit afflictus mox arripuit preces, quibus debellauit plures suos aduersarios, quam gladio & armis. Cuius rei exemplum habemus in verbis prædictis: vbi primum orat pro defensione aduersus hostium iniurias. Deinde argumenta (siue rationes) adducit, quare Dominus non possit aut debeat ferre hostium iniurias illatas piis. Singula aliquid docere poterunt.

I. Pars.

Propositio Davidis ( siue petitio aut oratio aut quocunque nomine velimus appellare) sic habet:

1. Exurge Domine. Videris nobis dormire, & plane negligere nostram salutem. Itaque vel tandem expergiscaris, & opem feras nobis miseris afflictis, ne plane ablorbeamur ab impiis.

2. Exalta manum tuam: hoc est, ostende tuam potentiam